



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Oculorum custodia in Iob & alijs, quàm sit laudabilis, ostendunt oculi  
malè emissitij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterrituit, qui maluit liber criminis mori, quam criminosa potentia eligere consortium. Talis Iosephus erat antè, quàm coniugio ligaretur; qualem putes fuisse, postquam etiam matrimonij illi vinculum accessit? Habemus igitur duplex exemplum, & in mœcha improbitatis, & castitatis in Iosepho; vt illius fœditate huius pulchritudo commendetur.

Quòd si quis alium vult, & quidem iam coniugem, Iobum ipsum consideret, cuius tanta fuit cura, ne in fidem coniugalem impingeret, vt illud saluberrimum scitum non dubitaret posteris relinquere: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sciebat enim, oculos esse in amore duces. Quod satis expertus Dauid, nunquam postea sibi satis deplorare posse videbatur. Nam *accidit, vt surgeret de strato suo, post meridiem, & deambularet in solario domus regia: vidit q̄, mulierem se lauantem ex aduerso, super solarium suum.* Quid postea fecerit, constat. Nisi vidisset, adulter non fuisset. Meritò igitur dicere potuit: *Vt vidi? vt perij?* Nam tum statim perijt, quando vidit; quasi caput Medusæ aspexisset. *Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* Hanc oculorum continentiam vel in Ethnica discamus. Vxor Tigranis regis Armeniae, vt refert Xenophon, cùm, ex aula Cyri regis Persarum, ad maritum reuertisset, ab eo interrogata, quid de Cyro & Cyri pulchritudine sentiret, respondit: *Abs te, ô marite, deos testor, nusquam oculos deflexi; itaque qualis sit forma Cyri, prorsus ignoro.* O laudabilis ignorantia! ô oculos cælo ipso, non tantùm Tigrane dignos! Hæc fides coniugum quàm chara Deo est? quàm, apud mortales, annalibus digna? Prædicatur vbique in Iob custodia, vituperatur in Dauid libertas oculorum; atque ex huius adulterio illius fidelitas commendatur. Vnius virtus, quàm sit laude digna, ostendit alterius casus.

Idem scribit Athenæus, mirari Aristotelem in Menelao, qui tanto amore atque fide erga Helenam, licet adulteram, fuit, vt nullam admisisse pellicem, apud Homerum, legatur; quod ipsum tamen impunè licebat: præsertim cum etiam præstantissimi Græcorum pellices habere, ab eodem poëta introducantur.

## VII.

Iob. 31. 7.

2. Reg. 11. 2.

Matth. 5. 28.

## VIII.

Athenæ. l. 13.

cap. 1.